

ter & magno cum iudicio lege, relege, ora, labora, operare, reiterra. Et proculdubio tantorum secretorum particeps in honorem Dei auctoris mysteriorum & utilitatem proximi per experientiam considerationis naturæ efficiaris Vale.

DIALOGVS INTER NATURAM ET
FILIVM PHILOSOPHIAE.

Egidius de Vadis suo amico N. S. P. D.

NON mireris super me (virorum optime,) qui omnium scientiarum ignarus, tantum opus super vires aggredior, virtus enim tanti vigoris est, ut non modo ignotos flagrans amore & desiderio conciliet, verum etiam inscios, ignavos, torpentesq; instiget, ut meram scientiarum omnium medullam cōcupiscant. Hos inter omnes (ut amici dicere solent) tui non obliviscor, quippe qui virtutibus ita præditus es, ut minime possim aliquid agere, quin prius virtutem in te radicatam pro viribus honore postponendum cæteris divulgarem. Honor enim (teste Philosopho) præmium virtutis est: & viventium quidem cui potius attribuatur, omni adulatione postposita, Deum testor, ambigo: quamplurimos equidem video, qui propter ornatum dicendi modum scribendive sibi honores magnos vendicant: qui tamen nihil aliud quam verborum lenociniis, ac phaleratis dictis, meras fabulas & nugas docent: ij quidem nondum reliquerunt nuces, neque sapiunt patruos. sed tanquam pueri, vel juvenculi, si quis pomum simul & aurum offert, aurum quod summi pretii est & valoris, nihili pendunt: & pomum nucem, quod minimum est anteponunt: hæc quidem Achillis & Gluaci permutatio. Nam si quis de Naturæ secretis dissertaret, illi pro certo veluti nucis testudinem lambentes nihilque medullæ dulcedinem gustantes: comptis & ornatis verbis, aut parum aut nihil ad rem pertinentibus, quasi garrulosi respondebunt. Quã obrem istius verba proportionem cum illis quadrant: qui dicit, loquentiæ satis, sapientiæ parum. Verum enim vero si illis plurimum deterior sum, tamen præcipue propter ignorantiam, cum etiam propter sermonis barbariam, quam ipsi balbutiem vel solæcismum vocât: quantum ij de testudine politis verbis contendere ausi sunt: tantum ego (quamvis inornate)

nate)